

enim, quæ ita fere appellantur, contra omnem naturæ uim, præterq̄ omnem eius cursum atq̄ ordinē existunt, & à Deo, ob graues aliquas causas mortalibus obijciuntur. Quod ipsum cum euenire debet, aut Prophetarum, aut Angelorum monitu homines ante ad eorum expectationem excitantur. Sic in sacris historijs aliqua portēta memorantur, sed quæ ante prædicta fuerant. De Cometis quid eiusmodi memoriæ mandatum fuit usquam in sacra historia quis unquam uates, quis angelus afferre cometam magnorum malorum ostentum & causam prædixit? Naturalia igitur prodigiosa essentiam non habent, nec uires, neq̄ effectus. Quo fit, ut ea, quæ ad hominum uoluntates, consilia, actiones pertinent, & aliunde pendent, quæ uel ad prosperam, uel aduersam fortunam, ad opes, ad honores, ad priuatas uel publicas calamitates spectant: ea, inquam, omnia, prudentiæ potius uel rerumq̄ usu, ac solerti cōiectura cōprehendi, quàm ex meteoris aut astris denūciari posse perspicuū uideatur. Quin hoc obiter addo, si quod portētum siue in terra, siue in cœlo nobis offeratur, inusitata ac prorsus noua aliqua specie: quod nullus unquam mortalium antea uiderit, quodq̄ omnem intelligentiam captumq̄ nostrum superet, ne ex eo quidem homines quidquam certi atq̄ explorati, nisi uniuersali quadam ratione & ita propemodum ex accidenti uaticinari posse. Nam est nescia mens hominum fati, fortisq̄ futuræ, ut inquit ille, neq̄ ulla humani ingenij & doctrinæ uel præuideri futura certo possunt, nisi ab eo, quem forte Deus peculiariter fatidico hoc spiritu afflauerit, & ut de sacris uatibus legimus, arcana aliqua patefecerit, de quibus humanum genus admoneri uelit. Præclare Arist. τὸ μέλλον, inquit, ἔφανές ἡμῖν. Iſocrates quoq̄, τὸ μέλλον ἀόρατον: & alibi pereleganter οἶμαι ἅπασιν εἶναι φανερόν, ὅτι τὰ μέλλοντα προγινώσκει, ἢ τῆς ἡμετέρας φύσεώς ἐστιν, ἀλλὰ τοσοῦτον ἀπέχουσα ταύτης τῆς φρονήσεως, ὡς ὁμηρος ὁ μεγάλῳ δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ χάρις, καὶ τὸς θεὸς πεπόνηκός ἐστιν ὅτε βυλευομένης περὶ αὐτῶν ἢ τῆν ἐκείνων.

κείνων.